

1376 oppido subjectis, quæ ab initio milites occuparant, Venetus Taurisium se recepit. Liopoldus Bellunnum progressus, auditō hostium digressu, iniquo animo tulit præceptam sibi pugnandi occasionem. Conversus igitur ad ea loca, quæ amiserat, recipienda, tentavit primo ex Baldina turri (quam tantisper dum Feltrum oppugnat, Caballus occuparat) Venetum præsidium dejicere. Jacobus, cognito hostium consilio, filium, juvenem impigrum, cum lecta militum manu ad locum præsidio retinendum mittit. Horum adventu explorato, barbarus Bellunno profectus, incautam cohortem insidiis excipit, exceptam turbat primo, mox vero fundit fugatque. Præsidii caput cum centum & amplius strenuis viris præter reliquam multitudinem in hostium potestatem venit: sed eos captos confestim missos fecit hostis, accepta prius ab eis fide, intra paucos dies, si pax non interim secuta esset, ad se veniendi. Recepta deinde turri, Bellunnum copias Liopoldus reduxit. In hoc statu res Venetæ erant, quum Lodovici Regis interventu cum Liopoldo induciæ in biennium pactæ sunt. Interim vero (ut varia sunt hominum ingenia.) Rex denuo alienatus, cum Genuensibus, Aquilejeni Antilite, Carrariisque in Venetos foedus percussit. Quod quum occultum in se bellum parari Patres rescivissent, essetque jam prope ventum ad exitum induciarum, pro magno habuerunt negocio, cum Liopoldo, ne uno tempore tot bellis onerarentur, redire in gratiam, pacemque quoquo modo fieri posset, sancire. Restitutis itaque locis omnibus, quæ illi Venetus proximo bello ademerat, Germanis negotiatoribus custodia eductis, rebusque aliis redditis, Leonardo Dandulo & Petro Cornario ad hoc missis, pax cum Duce composta est.

Nec ita multo post cum Genuensibus quarto bellari est cœptum. Quod bellum ut acerrimum, ac omnium quæ ad eam diem Veneti gesserunt, difficillimum, ita ab iis quos vidimus copiosissime traditum reperio. Sed prius quam rem narrare aggrediar, renovati belli causa expli-canda est. Tenebat Græciæ imperium Calojoannes, ho-mo

*Deinde ad
Feltrum.*

*Inducia
cum Lio-
poldo.*

Et pax

*1377
Causa quar-
ti belli Li-
gustici.*